

/ Admodum Ill/ris et R/me Dñe ,

Convenit me R/dus Pater f. Joannes Bocquetius, et non litteras solum, sed etiam insigne volumen ab Amplitudine tua mihi reddidit.

Quod ad negotia cum Sanctissimo Patre, vel Congregatione sacri Concilii tractanda pertinet, non omittam, ut opera mea desideretur, ubicumque utilis esse posse judicabitur, quod illi ipsi venerabili Patri pollicitus sum. Librum autem degustare coepi, et placuit ordo, perspicuitas, soliditas doctrinae, et ipsa etiam brevitās, quae non minus allicit ad legendum, quam a legendo deterret prolixitas, praesertim homines occupatos in quorum numero ego sum. Sectarios quotidie inter se et nobiscum rixari non miror, cum spiritu contradictionis, et vertiginis agitentur. Quod Wibrando, famulo olim meo, R/ma Amplitudo tua prospicere velit de officio Magistri Cantus, ago benignitati tuae gratias. His precor a Deo Amplitudini tuae R/mae omnia  
/5 prospera, meque sanctis tuis precibus ex corde commendo. Datum Romae die 28. Junii 1615.